

Appendix. — Europa Nro. 61.

Regnum Mortuorum.

Litterae Familiars.

Inter Vivos, et Mortuos.

Ad Carolum Vilhelmum Ramler,

De Mundo 15. Julii 1808.

Quaestio certa tamen decidenda esset, quae concernit novum, et amplum Regnum. Ramler, aut Adelung — magis tamen Ramler poterit hic nos juvare; haec causa scribendi ad te, chare Ramler: Quaestio est: An Vestphalia; an Vestphalia, aut Vestphalia scribenda? In Universali Indicatore Germanico Mense Aprili Nro. 103. quidam Criticus quaestionem hanc ita decidit: Quod *Vestphalia* scribi debeat, quia incolae regionis in antiquioribus Saxonis legibus, et aliis documentis *Vestfalahi*, istis autem Oppositi *Ostfalahi* nominantur. *Falahus*, seu *Falen* videtur lingua Alemannorum circulum, aut vasallatum significare — sed ad quid haec innovatio? Anne usus antiquissimus tyrannus? Quanta in lingua nostra haberemus mutanda, si jugum hujus Despotae dejicere vellemus? — Juxta hujus itaque imperium puto ego *Vestphaliam* retinendam esse, quia usus frequentissimus hactenus ita voluit.

Chare, mansvete Ramler! forte ignorabis, quid quaestioni huic causam dederit? Ab obitu tuo multa in theatro mundi mutata sunt. Vestphalia est nunc Regnum; et plura de hac materia. — Quidam Litteratus D. *Hassel* in gaudio cordis sui, quod per conjunctionem Descendentium veterum *Cheruscorum*, *Cattorum*, et *Cauzorum* in Regno Vestphaliae dehinc „Germania in Germania conservetur“ adidit statisticam descriptionem Regni Vestphaliae ante ejus organisationem Brunsvigae, in qua extensionem arealem in 654 $\frac{1}{2}$ milliariibus quadratis; populationem in 1,900,000 (ad unum milliare 2917) proventus publicos in 12,720,000 fl. d. figit. Civitates numerat 197 (inter quas Brunsviga habet incolas 31,714. Magdeburgum 30,611. Casselia 18,450) 4179 pagos, et curias, 64 oppida. Neonatum hocce regnum ornatum est omnibus naturae donis, quae ad productionem rerum primae necessitatis desiderari possunt. Potior nationis pars est agriculturae dedita; regio habet in-

exhausibilem thesaurum salis in 21 salinis, inter quas *Halenses* in tota Europa ditissimae sunt; ligni, et carbonum ingens quantitas, fodinae frequentes; fabricae, et manufacturae numerosae, cum primis telae, lanae, corii, papyri, tabacae etc. Per regnum capitales viae commerciales; duo navigabiles fluvii Albis et Visurgis; celebria educationis Instituta, Universitates Göttingensis, Hallensis, et Helmstadiensis; primae classis praesidium limitaneum contra Borussiae *Magdeburgum*.

Terreris, numquid, chare Ramler! per hanc Geographicam aestheticam? quia Borussia es — sed venit novus mundus, si nunc red res ad nos, crederes, te non in tua esse patria, sed in regione externa. Stuperes aesthetice, si omnia antiqua dejecta videres. Interim volo tibi etiam aliquibus novitatibus favulari — *Ephemerides Novo* — Eboracenses fuerunt; Fractorem anglicum *Pellew* cum sua classe comparuisse ad portum *Ontrust*, eumque occupasse, ubi 2. Hollandorum naves lineales in manus ejus inciderunt.

Litterae Hamburgenses ferunt novitates anglicas, quarum praecipua est; Quod Dux *Angouleme* Mithiam profectus sit; ut suam, et Comitibus de Provence uxorem in Angliam deducat; quod Parlamentum solvatur, et bellum navale continuandum sit. — Litterae Petropolitanae abegant omnem spem proximae pacis. Philantropica societas petropolitana, Anno 1802 instituta, jam habet capitale 30,000 Rubellarum, ex cujus censu annuo 7. viduae musicorum habent aequam 300 Rubellarum pensionem. Societas haec curavit fieri monetam Auream 47 aureos appendentem, pro celebri musico *Haydn*, cujus una facies praefert lyram, cui corona quercina insistit; inscripto anno fundatae societatis 1802. Pars aversa refert inscriptionem: *Societas Philharmonica Petropolitana Orpheo Redivivo?* Moneta haec submissa fuerat Haydnio per Societatis Rectores cum litteris sequentibus:

Rectores hujatis philharmonicae societatis properant solvere obligationem sibi impositam, quae ipsis per omnem hactenus vitam gratissima fuit, est enim illa, ut auctori immortalis productorum artis musicae tributum i limitatae devotionis, quae corda eorum; quemadmodum cujusvis musicae cultoris, ad nomen Haydn pervadit; atque una gratitudinis, qua nulla unquam seu justior, seu sincerior esse potest, submittant. Philharmonica haec societas debet suam existentiam humanitati et zelo nonnullorum Amicorum Musicae, qui laudabilius, quam ipsi vel sperare ausi fuissent, audacium suorum votorum scopum assecuti sunt, ex quo enata societas, cui non parvus viduarum numerus quietem senectutis suae debet, quaeve ex munificencia domus

caesareae, et beneficentia magnanimis Publici pro futuro multa sperare potest; atque hunc felicem rerum Instituto nostri progressum debemus immortalis Tuo operi, quo sublimius ars nihil adhuc produxit, debemus inquam — *Tuae Creationi* — Respice itaque vir venerande hocce debitae, et summae gratitudinis testimonium, quod Tibi societas sub effigie hujus monetae defert, accipe cum bonitate, quae cunctis magnis viris, et cumprimis Tibi propria est, et largire porro quoque benevolentiam, studiumque Tuum Instituto, quod Tu proprium tuum opus considerare potes, et cujus salutare effectus etiam pro serena vespera gloriose transactae, semperque operosae vitae tuae benedictionem ab alto deponent. — Quibus nos ima cum veneratione subscribimus. Petropoli 22. Maii 1808.

Post occupationem Finniae per Russos, Generalis Comes Buxhövden sequentem ad Svecos dimisit Proclamationem: Omnes Officiales, qui in exercitu Finnico serviunt, provocantur, ut occupata jam nunc Finnia domi remaneant, et qui exercitum svecicum ultra limites Finniae sequentur, nec intra tres hebdomades ad consuetum habitationis locum redierint, bona eorum confiscantur.

Biographia.

Ramler Carolus Vilhelmus, unus e celeberrimis Germaniae Poetis; natus Colbergae in Pomerania 25. Februarii 1725. et adhuc in prima Juventute venit ad Orphanotrophium Hallense, ubi cum magnam ad poesim germanicam inclinationem ostendisset, nihil non tentarunt Professores, ut inclinationem hanc ad poesim latinam deriverent; Ast praesagiebat *Ramler*, quid lingua germanica possit, quae certe magnam culturae partem eidem debet. Primis annis regiminis Friderici II. venit Berolinum, ubi carminibus Odarum mox inclauit. Anno 1748 acceperat Accommodationem in Instituto Cadetiorum Berolini, et A. 1758 accepit Professoratum scientiarum elegantiorum in eodem Instituto cum admodum parco salario, Vilhelmus II. dederat illi pensionem annuorum 800 Thaler. et A. 1790 eum Condirectorem Theatri nominavit; sed circa finem A. 1796 officio huic valedicens, privatam egerat vitam, dum 11. Aprilis 1798 obiit. *Ramler* fuerat ut Poeta lyricus idipsum Germanis, quod fuit Horatius Romanis, qui abundantiam sublimium idearum et energiam poeticam cum puritate, ac elegantia expressionis, ac ipsa harmonia carminis nexui. Odae ipsius abripiunt Lectorem, et lingua germanica multum ei debet. Modus, quo instruit, docet, monet, et excitat, et has operationes cum vero lyrico Pathos conjungere novit, est, et manet, quemadmodum totus ejus stilus, nobilitas, et exemplaris. Nullus Scriptorum unquam saepius, aut aptius

applicuit *Vimam*. Versio *Odarum* *Horatii*, quae primum post mortem eius A. 1800 prodivit, est perfectissimum omnium, quas habemus. Fuit ille primus, qui hunc amicum etiam quoad mensuras metricas secutus est. *Cantata* ipsius; *Mors Jesu*; *Resurrectio*, et *Ascensio*; sunt totidem exempla, quae imitatio assequi non potest. Nec minora sunt ejus merita in eo, quod opera multorum poetarum *Germanicorum* emendaverit, multa abbreviaverit, transtulerit, et mutaverit; phrases languidas cum magis energicis permutaverit; hinc inde subtrusit aliam imaginem, versumque placidiorem effecit; verbo: critica ipsius non ultra pergit, quam ad poemam sili, verum autem Poetae characterem nullibi deponit. Habemus ab eo versionem *Batteux*, Introductionem in aemiores *Scientias*, quae quater recusa est, et dum vice prima prodiret, magni fiebat; *Aliae* etiam versiones *Martialis*, et *Catulli*; brevis *Mithologia*; et alia pepererunt ei immortalitatem. Effigies ejus aeri saepius incidebatur. Opera ejus posthuma magnifice edita sunt.

Diarium Politicum.

Hispania: — Inter duo maria sita, quae in opulentissimas orbis regiones ducunt; cujus terra faecundissima; sub felici climate sita, ostendit mortalibus media, quae sapientia, et justitia in infinitum multiplicare potest. Terram hanc habitat populus, cui fervens anima, et sublimes ideae sunt, quive corpus et animam pro magnis rebus habet; quod probat aetas *Caroli V.* et *Philippi II.* et quod pericula eum non terreant, argumento sunt *Coloniae* in tribus orbis partibus. Si *Anglia*, quae despotismum maris quaerit, commercio compedes non imponeret, et *Galliae* tendentiam adversus *Angliam* non interrupisset, tunc potuisset *Hispania* in mari magnam ludere personam. — Regnum *Hispaniae* in *Europa*, *Asia*, *Africa*, et *America* habet possessorium 278,871. quadratorum milliarium, et populationem in toto 21,888,800. Producta primae naturae dat *America*. In monetaria *Mexicana* A. 1804 cusi sunt 27,096,000 *Piastrorum* auri, et argenti. Multa producta colonialia possidet *Hispania* exclusive. Si *Hispania* suas colonias in *America* ab contagione libertatis salvet, nec malus spiritus, ut semet *Infanti* *Hispaniae*, qui nunc in *Brasilia* est, subiciant, eas invadat, sub liberali, mansveto, et justo gubernio mox summum assequetur culturae, ac beatitudinis humanae gradum.

Cum nunc naves nec *hollandicae*, nec *danicae*, nec *borussicae* pro captura *halecum* excurrant, incipiunt *Angli* aestimare hunc commercii ramum, quem hactenus exteri populi, ut dici amat, ante portas eorum accipiebant; ut plane *Parlamentum* capturam *halecum* propositis praemiis promovere studeat.

Non
(N

B. qu
decla
mam
exspe
chriti
riosi
eam
Dux
pala
cebat
cet,
cujus
done
ita e

Volta
ex G
Inter
limat
pulch
praet
dicio
non
rem
tame
guos
rieta
bene
gustu
nus a

test,